

et propheticam mihi gloriam contulit, regni etiam magnificentiam dedit, de periculis quoque innumeris me eripuit, et quomodo potero, cum post haec tanta eius beneficia deciderim et offenderim atque in ultima flagitia devolutus
90 sim, propitium rursus promereri Deum; si haec cogitasset David cum prioribus pariter et novissima perdidisset.

16. Non enim sola corporis vulnera si neglegantur inferunt mortem, sed et animae similiter. Et nos tam stulti erimus ut corpori quidem, si vulnus eveniat, adhibeamus continuo medicinam, in nullo vero animae vulneribus
5 mederi videamur. Et quidem in vulneribus corporum sunt multa quae sanari omnino non possunt et tamen non continuo desperamus, sed in quantum fieri potest adhibemus diligentiam; etiamsi audiamus a medicis quia huiusmodi vulnus sanare medicamenta non possunt,
10 insistimus tamen et obsecramus ut aliqua saltem solatia nobis medici aliquid sustentationis exquirant. In animae vero vulneribus, ubi nihil est insanabile neque enim anima necessitatem patitur naturae, quasi aliena sit a nobis eius passio, sic neglegimus, sic desperamus, sic nihil ad animi
15 sollicitudinem revocamus. Et ubi languoris natura desperationem necessario generat, nos tamen quasi spei aliquid conferat diligentia, non omittimus curam; hic, ubi nulla est desperandi necessitas, quasi nulla sit sanitatis spes, omissa penitus cura, discedimus. Vides quanto
20 maiore corporis quam animae amore constringimur, ignorantes quia si animam neglegamus nec corpus salvare poterimus. Non enim anima pro corpore sed corpus pro anima factum est. Qui ergo quod primum est negligit et quod inferius est excolit, utrumque corrumpit. Qui